

Variis modis dividitur testimonium humanum. Has divisiones ὡς ἐν τύπῳ adumbrabo.

1 Est dictum vel factum. Dictum est *lex superiorum; apophthegma, magnatum; gnoma, sapientum; proverbium, vulgi*. Factum *potest esse varium*.

2 Est proprium, vel alienum. Proprium est *vel confessio, sive voluntaria, sive coacta; vel jusjurandum*. Alienum est *vel ab amico, vel ab inimico*.

3 Est mutuuum, vel non-mutuuum. Mutuum est, *cum unus alii dat testimonium, & vicissim accipit ab eodem: ut, Christo Johannes testimonium dedit, & Johanni vicissim Christus*. Non-mutuuum *quid sit, è dictis claret*.

4 Est vel vivæ vocis, *per testes; vel vocis mortuæ per scripturas, quæ sunt instrumenta, vel privata, vel publica; & hæc vel originalia, vel transsumta*. Illa dicuntur *Protocolla, Authentica & Imbreviaturæ; ista dicuntur Copiæ*.

5 Est antiquum, vel novum.

6 Est universale, vel particulare.

De his divisionibus sunt hi canones:

1 *Omne testimonium humanum est contingens.*

Ratio: quia testes, à quibus dignitatem suam habet, partim naturali ad labendum & errandum propensione, partim voluntariâ morum mutatione & inconstantiâ laborant. Jam qualis est testis, tale testimonium.

2 *Testis humanus alius est ministerialis, alius auctoritativus.*

Ministerialis est, cum homo pius Deo est testis. Sic *Esa. 42. v. 35, 37*. Vos testes mei estis, dicit Jehova. Sic Johannes Baptista & Apostoli perhibuerunt Christo testimonium. Hi fuerunt testes ministeriales, qui non dare potuerunt auctoritatem ei, cui testimonium perhibuerunt. At homo dicitur testis auctoritativus, cum testimonium perhibet in foro, in Scholâ &c.

3 *Testi-*